OMNIBUS OMNINO HOMINIBUS

Orbis Terrarum præcipue Dominis,
IMPERATORIBUS, REGIBUS, PRINCIPIBUS, DUCIBUS;
Qibuscunq; deniq; Dominationis, aut Dynastiæ Titulis,
Colendis, & Compellandis.

PRÆ OMNIBUS,

Celsissimo & Augustissimo CAROLO
Magnæ *Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ*
Regi, Fideiq; Defensori, *&c.*
Bono Omine, & spe Magna, Regum Terrarum Maximo.

POST TANTUM REGEM

Subditis ipso dignissimis, Viris multis variisq; Honorum Titulis compellandis. Generosissimis, Amplissimis, Reverendissimis, Spectatissimis, Præstantissimis, *&c.*

Chen. Culpeper Baronet.
Edmun. Prideaux Armig.
Theoph. Dillingham T. D.
Guliel. Dillingham T. D.
Jac. Stock Civ. Lond.
Anton. Morgan Chiliarch.
Johan. Sparrow Centur.
David Henchman Centur.
Franc. Lodwick Civ. Lond.
Abrah. Hill Civ. Lond.
Whitle Civ. Lond.
Johan. Sadler Armiger.
Sam. Bisield A. M.
Johan. Tillotson A. M.
Johan. Owen T. D.
Johan. Wilkins T. D.
Hen. Wilkinson T. D.

Rob. Boile Com. *à Corke, Frat. Geren.*
Jonath. Keat Baronet.
Joha. Bathurst M. D.
Gul. Pettie M. D.
Geo. Crook Armig.
Cooper A. M.
Staughton A. M.
Withers A. M.
Tho. Branker A. M.
Gold Armiger.
Baccous Armiger.
Floyd A. M.
Car. Bale Civ. Lond.
Tho. Slater Civ. Lond.
Fran. Walsel T. D.
L. Fogge T. B.
Cumberland A. M.

Horum plurimis Ingeniosissimis, Omnibus ingeniosorum fautoribus summis, Patronis meis Munificentissimis, ideoq; Colendissimis.

VOs omnes Adami posteri, vos (inqam) omnes omnino Orbis Terrarum Homines, longe lateq; dissiti, variisq; Regionum terminis

invicem dissociati. Primam vestram originem retrospicite. Hominum societatem non tam locorum longinquitate, quam linguarum diversitate, discontinuatam agnoscite. Scientiam omnem veram, fortuitorum signorum tricis involutam, aciemq; mentis ad altiora, Artiumq; ipsum fastigium, enixius aspirantem, verborum onere gravidam, depressam suspicite. Viros doctiores, hoc malum querentes, frustra tamen remedium quærentes, tristes audite. Artem primam, maximeq; necessariam, hucusq; neglectam; alias vero (quantum sine hac poterant) laborioſe,& ingenioſe excultas, inertiæne genus humanum accusabo? Anne, Numinis decreto, majora & meliora Artis secreta, in ultima mundi tempora reservante, potius excusabo? En itaq; Mortales, Babelem corruentem, societatis humanæ vinculum, pontem animorum, Philosophiam vere primam, Scientiarum omnium januam, Artem deniq; Artium, *ARTEM* scilicet *SIGNORUM*: Eamq;, non tam industria humana inventam, quam casu divino repertam. En communia illa Rationis Principia, vobis omnibus pariter connata, oratione congruenti delineata. Ne igitur homo homini amplius brutum, sed vere homo esto.

Vos Orbis Antiqi Incolæ, quotquot estis a Gadibus & ultima Thulæ, Auroram & Gangem usq; & ultra; Operosum, Barbarumq; istum, docendi discendiq; medium, jam tandem, sero deponite. Mentes vestras, infinita, & confusa verborum farragine, nolite diutius excruciari; atq; in Scientiarum cortice, semper hærere.

Vos Judæi, Dei populo Antiquissimi, qui nobis Terræ filiis, non solum Artium, sed ipsius Mundi, primam Originem patefeciſtis; Lingua vestra, aliarum omnium Antiquitate Sanctissima, huic tamen (Arte) Sanctiori, facilis cedat. Vos Sinæ oculatissimi, nolite quæsumus, nos monoculos, vestras res intentius intueri cupientes, fascinata spectra, pro Literis ostentando, excæcare. Ne Gentes cultas, barbarasq; (nullo habito discrimine) consuetudinem vestram ambientes, Monstrosorum Characterum, muris & turribus, societate vestra abarcete. Hoc certe, ultimum est Artis Remedium, ad vos in commune humanæ societatis consortium pelliciendos; quod si minus efficax fuerit, non amplius Artibus, sed Armis, ab ista pertinacia, pertrahendi eritis. Vos Indorum Brachmanes, Ægyptiorumq; Magi, Quid aliud est, homines vobiscum, Divinarum Humanarumq; rerum omnium scientiam, per brutorum simulachra haurire, quam homines brutescere. Vos Græci Romaniq; Artium Liberalium patres venerandi, vos tamen (valde mirum! sed magis verum;) vere barbaros esse, hinc certo discite.

Vos novi Orbis inculti Incolæ, fœlices vos præ nobis, quod animos quam agros, prius excolere liceat. Discite ex alienis malis sapere; rectamq; methodum Artium, prius quæ intra, quam quæ extra sunt erudire, cognoscite. Homines vos esse, non minus quam nos, ex facillimo omnium, quæ hic traduntur

duntur intellectu, certo scitote. Quam autem Divina res sit Ars; hinc etiam (non sine admiratione) erudimini.

Vos deniq; (qidni dicam nos) fœliciſſimæ Britanniæ, Incolæ cultiſſimi; non tam Orbe toto diſcreti, quam ex abſtracta utriuſq; orbis medulla, in centrum totius, firmiſſime concreti. Eja. Agite ocyus. Surgamus. Viros, vera virtute præditos, noſmet præſtemus: Dedit nobis ſiquidem Deus O. M. hoc otium; non ut in eo, inutiles, turpiter conſeneſcamus; ſed, ut vires noſtras omnes, in Artibus ornandis & augendis, intendamus. Pereat inter nos, omnis contentionis memoria. Homines de lana caprina certantes, conſenſu unanimi opprimamus. Sit noſtra Britannia, Sanctum Sanctorum, Artium Officina, Mundi Schola, Domus Solis: non quidem veſpertina, & occidentis, ſed Meridiana clariſſima, omnibusq; populis, hinc perpetuo orientis: Quo poſito? Quis hodie Philoſophorum, ſic demonſtrantem improbabit? Britannia eſt Solis Scientiarum Domus; ergo, Orbis Literati Centrum. Detur per nos, Scientiarum omnium continua circulatio: Sicq; noſtra Britannia, ſi non primum vivens, ſaltem ultimum moriens, Mundi jam Literis animati, dicetur & erit.

Vos Mundi hujus Domini, & Moderatores, Monarchæ, Optimates, Populive; vobis in primis, Artibus opus eſt. Quis non novit, Bellum ipſum, licet omnia fædans, qodq; vos ſolos penes eſt, Artibus gerendum eſſe. Novimus quidem, Furorem, aliquando unicum Armorum Artem extitiſſe: hic miniſtrabat, hic fabricabat, hic uti docebat. Nunc vero (Deus bone) quantas vires furori, Ars furioſior addidit. Huccine Artis Divinæ, mentisq; medicinæ uſus, animatum hunc pulviſculum, quaſi ex ſe non ſatis fragilem, Tormentis excogitatis conterere? Animamq; ipſam, nondum ad meliorem vitam maturam, crudeliſſime perdere? Permittite mihi obſecro, vos excelſi Judices Terræ, humani Generis cauſam (adeoqe revera veſtram) liberius, coram Tribunali veſtro, paucis agere. Quis Majeſtatis ſplendidior radius? Horridus Armorum ſtrepitus, an dulces Muſarum cantus? flamma ferrumq; an vetuſta Fana, Aurumq;? Eremus ſqalida, an Paradiſus amœna? Torridi cineres, an Turritæ Civitates? Mobilia Tabernacula, an ſplendida Palatia? Immatura Mors, an matura Senectus? Sed tœdet infinita recenſere. Quid igitur Magnus Alexander? Quid Cœſar? Quid Pompeius? Quid Hannibal? Certe, me judice, Magni Latrones, ſævi Laniones, vel, ut honeſtiori dicam nomine; Nobiles Carnifices. Quid autem Plato? Quid Ariſtoteles? Seneca? Cicero? Illis quidem multum contrarii: Peritiſſimi quoniam, morbidæ mentis humanæ Medici: Immortalitatis ſtrenui aſſertores: adverſus momentaneas hujus vitæ ærumnas, ſuaviſſimi Conſolatores (quouſq; nimirum naturæ lumen penetrare potuit.) Dicite igitur, vos pacis belliq; arbitri; Quid bello quæritis? Pacem? Nihil abſurdius. An vivos

inter mortuos? Horret animus. An vitam beatam, ex morte miſerrimam? Hoc ſane, Divinum eſt qid. An Civitates ex Cineribus naſcuntur? Reclamat experientia. Sed forte, iniquior ſum in vos, & durus cenſor: vos mortalia ſpernitis, Mortem malorum omnium terminum, resq; mundanas, animæ inqinamenta, cernitis. Miſeret vos hominum, fugaces & fallaces umbras, ſpe vana amplectentium; vitam vero æternam, propter has illecebras negligentium: Vobis itaq; pietas eſt, homines miſeriarum hujus vitæ fluctibus jactatos, in portum ſalutis, qam breviſſime, & recta deducere. Optime qidem dictum, ſi Dii eſſetis. Sed qis Deus aliqando docuit, omnibus ex æqo, & indiſcriminatim, improbis probisq; vitam æternam eſſe paratam? Nonne potius certo conſtat, Deum unicum & verum, vobis nobisq; pariter Hominibus, hoc rapidum, vitæq; hujus inſtabile momentum, eo fine largitum, ut ſordidas animarum maculas, in filii ſui ſanguine, unico ſalutis fonte, abluamus; nosq; (ut decet Regni Cœlorum Cives) Spiritus Sancti gratiis; omnibusq; qibus poſſumus, bonis Artibus, ornemus? His enim ſolis ducibus, ad portum ſalutis ſempiternæ, tuto appellere licet. Vultis Nomina veſtra, poſteritati commendare? Vultis Regna perpetuare? Ditiones ampliare? Id tutius, certiusq; multo, Artibus, qam vi faciendum erit: Violenta enim omnia, ſuum accelerant interitum. Natura poſtulat Regem, ſed Ars docet regnare. Qibus autem Artibus, ad regnandum opus eſt? Qamplurimis: Imo omnibus. Omnibus? Qid hoc eſt aliud, qam regnare, eſſe impoſſibile. Profecto, ſine Conſiliariis & Subregibus, ita ſe res habet. Qid autem cauſæ eſt, qod Ars regnandi, ita præ aliis, periculis plena ſit? Dixi Artem hanc multiplicem eſſe, adeoq; difficilem. Triplicem vero cautelam, in Conſiliariorum delectu, adhibitu neceſſariam (vel a Scriptoribus politicis, non ſatis explicatam, vel ſaltem, a Regibus non ſatis applicatam) ſæpe mecum cogitare ſoleo. Primum expedit Regibus, in rebus ſacris, & qæ ad Dei cultum pertinent, tales Conſiliarios adhibere; qi ante omnia, pietatis ſint ſingularis & eximiæ; ſummæ etiam eruditionis: qiq; inter contentionis flammas, notiſſimæ ſint moderationis: Atq; qod præcipuum eſt, hic delectus fiat, non ex paucorum opinione, qi ſæpiſſime partium ſtudio abripiuntur; ſed illi præferantur, qorum Nomina, popularis fama, ſuperata invidia, propter dictas virtutes celebravit. In rebus vero, ad Rempublicam ſpectantibus, eorum conſilia audire proceſt, qi ſint virtute Nobiles, ſapientiæ exploratæ, experientiæ multæ, prudentiæ pluris, fortes pro Patria, a ſordida avaritia in primis immunes; deq; ſuo ſumptus impendentes, ut populi onera levent. Deniq; ut vigeant, creſcantq; Artes, cum Liberales, tum Mechannicæ (in qibus omnis populi honos, opesq; poſita ſunt) ex ſingulis facultatibus & Artibus, viri ingenioſiſſimi ad conſilium accerſendi ſunt: Præmiis ſimul propoſitis, Artium promotoribus. Hoc triplici,

Conſi-

Consiliariorum ordine stipatus, singulis intra suarum functionum Limites, se continentibus; tutius multo, qam in civitate, triplice munita muro, Rex qilibet regnabit. Sed qid facio? Qove dilabor? Qis, aut qantus ego? ut ad Regũ consilia, tam audacter accedam? Bona verba. Major forte hominum de me opinione. Qid si sine ullius Terræ Regum, læsæ Majestatis crimine, Rex ipse sim. Monstrum horrendum! Verissimum sane, & valde etiam dolendum; mentem humanam per omnia errori pronam, tot vanis conceptibus, monstrosisq; partibus sæpissime laborare. Sic ego nimirum, in dulcibus phantasiis, Utopiæ alicujus pacificæ, Rex sum: vel majori cum Gloria, Rebellium Oceanæ, debellator strenuus: aut etiam, qod ambitionis acmen terminet, Mundi Lunaris, universalis Monarcha: Hi Consiliarii mei, Hi Regni Proceres, hæ Artes Regnandi. Ast missis jocis, in re tam seria, esto. Deposita hac mea imaginaria Majestate: Sim is, qi vere sum; Regis celsissimi, Subditus infimus, Consilione ideo abstinebo? Anne jam dicta retractabo? Minime faciam: Novi enim Regum esse, infimorum consilia non spernere; nec propter dicentis tenuitatem, Monita salubria rejicere. Verum ut eo insistam, qo primarius orationis scopus dirigitur: Vultis, vos Dii Mortales, ad Gloriam veram, vobisq; dignam, aspirare: Mittite hominum strages; Subditis vestris fovete, & in officio continete: Pacem cum proximis colite: qæq; in omne ævum, permanentia sint Monumenta, vos non inutiles vixisse in Terris: Edite præclara Artis facinora. Neve, sub *NIL ULTRA*, desidiæ Asylo, & Herculea Ignorantiæ Columna, vobis latitare permittatur. Ecce detectam, vastissimam Artis Americam: Qantam Gloriam reportabit, qi primus ex Regibus Terræ, ipsam occupaverit? Via compendiosa est valde, & tuta satis, magno non est opus apparatu; ne igitur cunctemini. Sistite tamen paululum: Hæc enim omnia, ita sint licet; opus est nihilominus, itineris duce. Cui vero, ex tot magnis Mundi hujus Luminibus, operam meam hac in re offeram? Vah! Confundor! Nimius Majestatis splendor, me propemodum excæcavit! Sed, O me stupidum! Qid hic hæreo? Itane difficile est, Solem a Stellis discernere. Quis Gloria hac dignior, Rege meo, cui omnia mea, ipsumq; me (Mortalem scilicet) in solidum debeo. Rege (inquam) meo, Divinis patientiæ & pacis Artibus vincentissimo: Cujus Auspiciis, pax domi forisq; Orbi Christiano reddita est. Plaudite qapropter Huic, facilesq; cedite, vos Domini Sceptrigeri; neq; gravemini, Sceptrum Britannicum, recentis hujus Plantæ (qandoqidem originis domesticæ) frondis, florisq; honores gerere; uberi enim fructuum Messis, erit vobis nobiscum communis.

Sereniss.

Sereniſſime Rex,

REX Regum, fruſtra reclamante Terra, Cœlitus, tibi Sceptra, reddendo tradidit. Qam te decet, Chriſto Auſpice, & Artibus Diviis, hæc tenendo regnare. Sit igitur, Celſiſſima Majeſtas, Ars prima Regnandi: Erga Deum, ſincera, ſimplex, & non ſimulata Pietas. Homines tibi Subditos, Cœleſtia ſpirantes, bene ſperare jube. Legibus Diviis ſolutos, inq; omnia vitia humana ſolutos; fœliciſſimo, qo cœpiſti conatu, perge cohibere. Paraſitarum impiorum adulationibus, *Vox Dei, non Hominis*, tibi acclamantium, Regio morbo perniciosiſſimo, ſummopere cave. Sit Ars ſecunda: Bonas Artes, animiq; culturam, omni ſtudio promovere: Dumq; aliorum Terræ Regum, Sceptra ſanguine madent; Tuum, ea, qa Rex tuus, tibi reddidit, Religione & Literis, hominum Mentes ſanando, perpetua pace floreat: Pura enim Religione, Deum colendo; bonisq; Artibus, animum excolendo, ad ſummum hominis bonum, Tuumq; Thronum ſtabiliendum, unica eſt via. *Homuncionem me*, ex obcuro prorepentem; humanoq; generi, novum hoc Scientiæ lumen, accendentem; Tibiq; inſuper hoc ſplendidum Majeſtatis Jubar, offerre audentem, ſereno, qo ſoles vultu, propitius deſpice. Tu noſtræ (vel potius tuæ) Britanniæ, Splendiſſime Sol; ex ſtupendo, & triſtiſſimo abortu, nobis nuper (heu ſero nimis) fœliciſſime ortus: Sine, imo fac, ut ſcintillula hæc, ſcientiæ ſublimioris, ſub tuis carduis bis nata; tecumq; aliquamdiu obnebulata, tecum etiam, Mortalibus oboriatur: Atq; te Auſpice, in omnem Orbis literati partem, clariſſimo ſplendore, effulgeat: Sicq; non ſolum nos, præſentis ſeculi homines; ſed poſteri noſtri, per omnia futura ſecula, Te tantum Dei literariæ Patronum, retroſpicientes ſuſpicient: & omni, ſummoq; qo par eſt, humano, Regioq; cultu, venerabuntur, adorabunt.

Vos tandem, Patroni mei Munificentiſſimi, (ſalvo aliorum honore) Angliæ flores & deliciæ; qod labores mei, ſerius opinione veſtra, in lucem prodeant; non hic Morabor, cauſas docere. Spero tamen veſtrum nonnullos percepturos, moram vires inventioni addidiſſe; Meq; tandem Polita, & Debita mea, cum fœnere reddidiſſe. Ingratitudini forte a multis imputabitur, qod ſicut vos, neceſſitates meas, Larga & Munifica Manu relevaſtis; ſic ego viciſſim, Nomina veſtra, lingua longiori, & vocifera non ebuccinem. Nihil ſane eſt, qod Ingratitudine magis odi; niſi forte, a turpiſſima adulatione, adhuc magis abhorreat animus. Novi ſatis, hoc unicum à me vobis gratum fore, operam ſuſceptam, in uſum publicum, ſumma cum cura & diligentia perficere. Cumq; ampliſſima veſtra Munera,

non

non tam mihi, qam Reipublicæ Literariæ, sint donata; præcipuum (ni fallor) gratitudinis officium, in eo erit positum; ut omnes Musarum amicos, & alios qoscunq; generi humano bene optantes, ad gratias dignas vobis referendum, mecum provocem. Pergite, virtuosorum Antistites, vobis non nati, generi vestro (licet ignaro, ideoq; invito & ingrato) benefacere: Virtus enim sibi Sufficiens est præmium. Valete.

Humano Generi omnibus studiis deditissimus; ejusq; causa, Regibus Terræ omnia fausta, animitus comprecans; Regis veromei, Subditus Subditissimus; Patronorumq; meorum, Cliens & Alumnus Gratissimus.

Geo. Dalgarno.

EPistolam hanc Dedicatoriam, ideo placuit sine ipso opere ad qorundam manus præmittere, ut certiores fiant ii, qibus vel officio, vel cordi est, Artes propagare; Conceptus meus de *Arte Signorum* (vulgo *charact. univers.*) jam maturatos in partu hærere. Characterem hujus Characteris, qantum patitur angustia hujus pagellæ dabo. Non suscipio (ut imaginantur plurimi) hominibus scientiam omnium Linguarum inspirare; nec talem Charact. describere, cujus significatio ex simplici intuitu, sine doctrina, omnibus innotescat. Sed Artem doceo, imponendi Nomina Rebus: Cujus praxis ad Communicandum tantæ sit facilitatis (qod fidem multorum superabit) ut ea, homines diversissimorum Idiomatum (si mediocris ingenii & diligentiæ fuerint, spatio 14 dierum, majoris, minori tempore, minoris, majore) omnia animi sensa mutuo communicare possunt, qæ in lingua materna vel qalibet alia. Ingeniosos & capaces erudiet in Rerum natura: non enim casu sed ratione imponuntur signa. Signa Radicalia & Primitiva ad numerum 500 non pervenient; hæcq; non ex mero Arbitrio imposita, sed methodicæ Rerum dispositioni respondebunt. Soni Euphonici erunt, & omnibus populis pronunciatu faciles: nulla homonymia in vocum significatione: nulla anomalia in flexione; Ut paucis, & clare dicam; vocum *significatio, flexio, derivatio, compositio, Constructio, phrasis, omnia*, præceptis logicis regulabuntur. Hæc enim est regula principalis in hac Arte. *Ea tantum sunt derivativa vel composita, qæ talia sunt & in* Re *& in* Signo, *per regulam certam semper sibi similem.* Hæ igitur voces *mei, mihi, nos, fui, esse, mors, vita, justitia, bonitas, fortitudo, ira, amor, gaudium*, &c. Secundum hanc regulam sunt vere primitiva; & non minus memoriam onerant (qod valde attendendum est) qam ipsa thematica. Atq; hoc pacto, mihi constat, voces primitivas Linguæ Latinæ, numerum 60000 excedere: præter loqendi formulas rationi non consentaneas, ut Anglice, *Put out the Candle, bear with him,*

sic

fit apponit, &c. Quorum intellectio, ex ipsis vocibus separatim acceptis, non sequitur sine nova institutione, & memoriæ labore. Ars hæc, erit præ aliis, Poesi longe aptissima; Dicendi copiæ & ornatui, mire inserviens, Aptissimum medium ad gignendam Scientiam in surdis, & cum iis communicandum. Ad docendas Artes, sola hæc est idonea; & propter hujus defectum, Artes, vel potius Ars, Log. Metap. Gram. verborum caligine obscurata, imperfecta & inculta jacet. Cryptog. etiam longe aptissima. Præter hos, & omnimos alios usus practicos; in Theoria, veritates Philosophicæ variæ aperientur, *v.g.* Nullas dare notiones transcendentales, vel extravagantes; ut *de uno, vero, bono*, fabulantur, potius quam philosophantur, Metaphysici. *Subsistere* & *Accidere*, non esse primas, nec adæquatas *Entis* differentias: Multo tamen aliter Philosophando de conceptu *Substantiæ*; quam Tho. Hobbs: ad cujus Atheisticas ratiocinationes evertendas, probabitur: impossibile esse, dari propositionem sine verbo Substantivo: & *Notiones* (non dico *Voces*) *Entis* & *Essentiæ*, non magis derivari ab (*est*) verbo, quam *Thomas* a *Lapide*. Secundum præsentem Philosophiæ constitutionem, nullam dari Definitionem proprie dictam; adeoq; nec Demonstrationem: Unica illa igitur definitio, in ore omnium jactata, *Homo est Animal rationale*, non est essentialis & propria. Hujusmodi Propositiones negativas, *Homo non est Lapis*, licet veras, secundum usum vulgarem, Stricte tamen loqendo, esse implicatorias. Has, *Non Homo est Lapis*, *Homo est non Lapis*, esse absurdas, ridiculas, & nihil significantes; nisi reductive. Hæc & similia plura, solidis rationibus sine ullo Sophismate (Deo volente) probabo. Non dico omnes; (spero tamen plurimos eosq; viros doctiores) mecum consensuros. Quis aut quantus futurus sit fructus hujus Artis, parce hic dicam. Hoc tamen velim perpendant viri docti. Quid si Plato vel Aristot. hanc Artem detexissent, cum tanta facilitate practica quantam ego hic polliceor, eaq; in Artibus tradendis, usi fuissent? Profecto, mihi nullum est dubium, quin ante hæc mundi tempora, omnes homines mutua societate cum aliis fruentes, hac lingua usi fuissent: non quidem dico, usum vernacularum Linguarum, omnino fuisse abolerum, nec omnes hebetes & idiotas, hujus usum calluisse. Nec minus est probabile, si Reges (nisi forte dici possit, utilitatem longe plus commendaturam, quam Regum authoritatem) Artem hanc omnium aliarum, ut facillimam, sic utilissimam, in Scholas introducerent, quin temporis progressu (modo tempus brevi non desinat) cum posteris nostris eundem successum haberet; & consequenter mundi statum, ab eo qi nunc est, valde transformaret. *Ne ingratus videar viris multis, de humano genere, & me bene merentibus: Sciatur, me propter hujus Schedulæ angustiam eorum Nomina tantummodo hic adscripsisse, quorum munera, Libram Anglicanam superabant; vel ad minimum, hanc summam complebant; quapropter aliis alibi gratiam debitam persolvam.*

F198502

D129.5